



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1764

VD18 90118049

§. 32. Quæstio de Evcharistia differtur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66268)

Sæcul. XIII.
A. C. 1234.

Conc. Eph.
p. 1. c. 26.
Sup. Lib.
XXV. §. 22.

25. Jan.

perator, *Omittamus hoc scriptum, ajebat, quod dissidia tantum parit! progrediamur, ac videamus in Patribus veritatem, quam asseritis.* Tum Nunciorum aliquis in libris Græcorum optime versatus, aperto S. Cyrillo nonum hujus anathema legit, quo damnatur, quisquis dixerit, Jesum Christum ad edenda miracula potentiam extraneam a Spiritu Sancto accepisse, cum dici deberet, illum per Spiritum sibi proprium ea patrasse. Et hoc anathema explicans S. Cyrillus asseverat, Spiritum Sanctum a Verbo & per substantiam in Verbo esse. *Jam vero, addebant Nuncii, una Persona divina non potest ab alia esse nisi per generationem, aut processionem. Spiritus Sanctus a Filio per generationem non venit: ergo per processionem.* De hoc argumento Græci etiamnum parumpel litigarunt: dimissus postea conventus.

§. XXXII.

Quæstio de Eucharistia differtur.

26. Jan.

Die Jovis 26 Januarii Nuncii negarunt se deinceps de puncto Spiritus Sancti disputare velle. *Si enim, inquiebant, veritati manifestæ acquiescere non vultis, quid possumus vobis proponere amplius? Cum Imperator cras ex hac urbe sit abiturus, nunc eo præsentem de secunda disjunctionis vestra causa loquamur!* Itaque Græci tandem

ægre

ægre consenserunt, ut colloquium de Sacramento Altaris institueretur, volebantque, ut Nuncii inciperent. Quibus se simplice differendi modo, nullaque argumentatione in forma ufuros esse affirmantibus se contentissimos profitebantur. Nihilominus disputatione ad alias de azy-mo ac fermentato pane quæstiones conversa, tempus frivolis sermonibus usque ad prandii horam consumebant. Denique Patriarcha ad Nuncios, *Ostendite nobis, ajebat, quomodo & in quali materia consecretis: & vobis respondebimus.* Cum paruisent, inducias usque post sumptum cibum petiit.

Sæcul. XIII.
A. C. 1234.

26. Jan.

Confessu post epulas iterum facto, Patriarcha dixit: *Habemus fratres nostros Patriarchas Hierosolymitanum, Alexandrinum & Antiochenum, quibus non consultis ad vestras propositiones nobis respondere haud licet. Ad medium Martium concilium convocabimus: cui ut adsitis, oramus, & ad ea, quæ protulistis, responsa nostra audietis.* Nunci subjungebant: *Nec ad concilium, nec ad alium quendam Patriarcham nos a Papa Domino nostro missos esse, satis declaravimus. Nec possumus injunctum nobis ministerium salva ejus ac Ecclesiæ Romanæ dignitate in ulla re excedere. Suademus tamen, ut convocet Fratres tuos, & cum illis promptum pacandæ, instaurandæque Ecclesiæ*

Histor. Eccles. Tom. XX. M. confi-

Sæcul. XIII.
A.C. 1234.

consilium capias. Scribe igitur Constantinopolin, ubi nos usque ad medium Martium commoraturos credimus, ac responsum tuum expectabimus, ut de hoc negotio certum aliquid Papæ indicare possimus. Numen divinum velit, ut nuncium feramus in ejus gloriam, & in communem Ecclesiæ utriusque lætitiâ cessurum. Ita locuti abiere.

27. Jan.

Die Veneris 27 Januarii dicto Sacro Imperatorem discessurum supremo salutationem euntes Patriarcham apud eum viderunt. Ille cum eis deliberare cœpit, qua ratione Patriarcha & Ecclesia Græca Romanæ reconciliari posset. Credendo, inquebant, ac docendo, quod isti credit; nec putamus fore, ut Græcis idem canendum obligandis multum insistat. Conveniret etiam, ut Ecclesia Græca Romanæ deinceps ut ante schisma obediret. Imperator subdidit: Quodsi Patriarcha Ecclesiæ Romanæ obtemperare velit, an jus suum a Papa recipiet? nempe, ut est verisimile, possessionem Ecclesiæ Constantinopolitanæ, tunc a Latinis occupatæ. Ad ea Nuncii: Si Patriarcha Matri suæ obedientiam & quidquid ei debet, præstiterit, majorem opinione sua gratiam a Summo Pontifice ac tota Ecclesia Romana initurum speramus. Tum Imperatore ac Patriarcha valere jussis Nicæa profecti Constantinopolin redierunt.

§. XXXIII.